

## **Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Antverpiae, 1647**

134. In vitæ extremo Crucifixum affatur, osculatur, amplectitur Joannes Berchmans, Belga.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55449](#)

dor deprehensum perfudit coëgitque  
moderari voci.

Alias, quam citò se in pedes erexerat, genibus protinus curvatis dimidiatò horæ quadrante, tanta spiritus dulcedine precabatur, ac si noctem totam orando extraxisset. Mox solùm terens osculis, mox animum suspirationibus erigens, mox aliis mentem accendens artibus.

*Virgil. Cepar. in Vitâ.*

#### IV.

### AMATOR CRVCIFIXI

*In vita extremo Crucifixum, affatur,  
osculatur, amplectitur.*

134.  
JOANNES  
BERCMAN.  
Belga.

**C**OMMENDANDVS maximè est Religiosis modus recolendi CHRISTVM PASSVM, & honorandi CRVCIFIXVM circa vitæ mortalis terminum, qui consistit in signis amoris ac veneracionis, inspiciendo CRVCIFIXVM, osculando, amplexando eiique peculiari affectu se commendando.

In quo eximius fuit BERCMANNVS, qui ut Mortem paulatim ad se adrepere sensit, mox CRVCIS sigillum dari sibi poposcit. Quod allatum Rosario Mariano è collo detracto religiosè redivit: nam suspensa è cervice Coronâ Virginis

ginis DEIPARÆ dormire erat solitus. Tum Regularum Societatis petito libello, illum CRUCI Rosarioque applicuit; ac tria hæc, instar preciosi fasciculi simul manu complexus, insolitâ verborum hilaritate dignissimam conscientiâ suâ vocem emisit: Hæc sunt tria mihi carissima: cum his libenter moriar.

Idem Adolescens cum infatuâ lecto, tanquam in agone cum hoste generis humani concertaret, & alii circum lectum genibus nixi preces funderent, alii ipsum lectum, cubiculum aquâ sacrâ lustrarent, ille CRUCIS sigillum, Rosarium, Regularum Codicem & Reliquiarum thecam manu corripuit: Hæc, inquiens, anima mea sunt, singulaque seorsum intuitus, suam cuique singularem laudem attribuit.

Idem loquendi facultate destitutus jacuit supinus, sensibus integris, nec impeditis, defixis in CRUCEM, Rosarium, & Regularum Libellum oculis. Quæ tria ambabus tenebat manibus, ita posita in conspectu, ut attractis, erectisque genibus, ne à visu abessent, sustentaret manus. Conatus CRUCEM proprius admoveere, cum à proximis juvaretur, admotam ori religiosissime dissuabatur.

*Virg. Cepar. in Vitâ.*